



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Responsio Ad Accusationes Quibus De Mala Doctrina
Accusatur Apud S. Sedem Florentius De Cocq Ecclesiae S.
Michaëlis Antverpiæ Ord. Præmonstrat. ... In Libello, Cui
Titulus: Propositiones per Belgium ...**

Cocq, Florentius de

Lovanii, 1693

Responsio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40343

Eandem quoque sententiam secuti sunt Eximii PP. Christ. Lupus, Fervacques, Pauvens, Clenarts, Desirant, Parys, Melyn, ac demum tota PP. Augustinianorum Schola.

ANIMADVERSI O AD DICTUM ARTICULUM.

DICTÆ opinioni apponunt Accusatores nostri hanc animadversionem, & dicunt: *Dum Lovanienses Hi, uti & Macarius Havermans aiunt, sufficere relationem virtualem, per hanc intelligunt reverà actualem perpetuam, sed remissam, & sine reflexione, per cujus defectum eam distinguunt à relatione, quæ ab ipsis actualis dicitur: adeoque multum absunt Theologi isti à sententiâ S. Thomæ.*

R E S P O N S I O.

QUID per Relationem illam virtualem intelligat Sacra Facultas Theologica Lovaniensis per suos Deputatos; antea dedimus. Quid verò per relationem illam virtualem intelligatur, & ad illam requiratur juxta nos, dixi loco supracit. sect. 4. scilicet, ut ex actuali præteritâ censeatur remanere virtus ea, per quam censeatur opus ad Deum referri: adeoque, quod in agendo debeat virtus actualis intentionis præteritæ remanere.

Nec multum moramur, quomodo demum, hanc virtualem relationem vocent: quod magis ad Philosophum, quam ad Theologum dignoscitur pertinere.

Addidi tamen, quod de simili virtuali relatione docet Bellarminus l. 5. de justificat. c. 15. ex S. Bonav. in 2. dist. 41. a. 1. q. 3. *Non sufficere, ut opus virtutis referatur in Deum, si quis ad initium anni vel mensis, vel etiam diei, generali quadam intentione referat omnia sua opera futura in Deum: sed necesse esse, ut illud ipsum opus particulare, quod postea faciendum est, referatur in Deum. Tunc enim dicuntur opera virtute in Deum relata, cum intentio præcedens est vera causa operum, quæ postea fiunt.*

Denique consului cum Eximio D. Estio, in Eplst. 1. ad Cor. c. 10. dicente, *Quo magis autem ejusmodi intentio virtute maneat in actionibus nostris quotidianis, frequenter actu renovanda est.*